



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

quod est per seipsam completa, determinata, & proportionata: Sed voluntas est completa, determinata, & proportionata ad attingendum bonum honestum proprii suppositi: Ergo non indiget habitu virtutis ad illud attingendum. Major patet: habitus enim ad hoc tantum requiritur, ut potentiam ultimò compleat & determinet ad attingendum objectum; unde si potentia per seipsam est completa & proportionata, superflue in ea ponitur habitus. Minor verò probatur: Tum quia bonum honestum proprii suppositi non excedit proportionem volentis, neque quantum ad speciem, cum sit ordinis naturalis, neque quantum ad individuum, cum non sit alienum, sed proprium suppositi appetentis. Tum etiam, quia sicut voluntas, ex quo est appetitus naturæ rationalis, naturâ suâ inclinatur & propendet in bonum ut sic, ideòque ad illud ut tale attingendum nulla ponitur virtus; ita ex quo est appetitus talis hominis, inclinatur ex se in bonum honestum talis suppositi: sicut enim differentia individualis contrahit voluntatem ut sit hæc numero, ita & ejus inclinationem determinat ad bonum hujus suppositi.

34. Nec valet quod dicunt Adversarij, voluntatem esse quidem naturaliter completam, determinatam, & inclinam ad bonum physicum proprii suppositi, non tamen ad bonum morale, seu honestum. Non valet, inquam, tum quia voluntas, cum sit inclinatio naturæ rationalis, consequens cognitionem intellectivam, debet habere ex se vim proportionatam ad attingendum bonum proprii suppositi rationi consonum; sicut appetitus sensitivus ex eo quod est inclinatio naturæ sensitivæ, sequens cognitionem sensitivam, habet ex se vim completam & proportionatam ad attingendum bonum sensibile seu delectabile proprii suppositi. Tum etiam quia, ut supra dicebamus, bonum morale & honestum proprii suppositi, non excedit virtutem volentis, neque quantum ad speciem, neque quantum ad individuum.

Addunt aliqui, quod sicut cogitativa ex conjunctione ad intellectum, & appetitus sensitivus ex conjunctione ad voluntatem, imperfectam vim quandam discutiendi, & modum aliquem libertatis participant: ita voluntas ex conjunctione quam habet cum intellectu, ut est regula humanorum actuum, mediante synderesi, rectitudinem quandam naturalem fortitur, per quam inclinatio ejus naturalis ad bonum honestum juvatur & completur. De quo videri possunt Salamanticenses hæc disp. 2. dubio 3. §. 1. ubi hanc doctrinam fuse ac eruditè expendunt.

35. Non magis juvat alia responsio Adversariorum, dicentium non sufficere ad hoc quod voluntas virtute non indigeat ad attingendum bonum honestum proprii suppositi, quod possit absolute illud attingere, sed insuper requiri quod possit facile & delectabiliter in illud tendere: quamvis autem (inquiunt) voluntas ex natura sua habeat vim ad attingendum bonum proprium morale, non tamen facile & delectabiliter. Non magis, inquam, juvat hæc responsio: nam ratio adducta probat, voluntatem posse attingere bonum honestum proprii suppositi, facile, & delectabiliter; potentia enim proportionata & completa ad aliquod bonum, facile & delectabiliter ad illud tendit; quia difficultas non potest provenire nisi ex excessu & improprietate objecti cum potentia, vel quantum ad

A speciem, vel quantum ad individuum; adeòque si voluntas sit completa & proportionata ex natura sua ad attingendum bonum honestum proprii suppositi, taleque bonum, neque quantum ad speciem, neque quantum ad individuum, proportionem voluntatis excedat, ut supra ostensum est, facile & delectabiliter illud attinget, totaque difficultas, quæ in hujus boni attingentia reperitur, se tenebit ex parte appetitus, in quo sunt immoderate passiones, electionem boni honesti impediens vel retardans: unde in ipso quidem appetitu sensitivo ponendæ sunt virtutes temperantiæ & fortitudinis ad subjiciendâ vel moderandas hujusmodi passiones, non verò in voluntate, in qua solum collocatur justitia, cum aliis virtutibus ei annexis, ad attingendum faciliter & delectabiliter bonum alienum, quod excedit proportionem voluntatis quantum ad individuum, ut in secunda conclusione declaravimus, & magis patebit ex solutione argumentorum.

§. II.

Solvantur objectiones.

Obijcies primò: Intellectus ad quodcumque 36. verum rectè attingendum indiget habitu virtutis intellectualis, etiam ad ipsa prima principia, tam speculativa, quam practica; nam ad speculativa ponitur in illo habitus intelligentiæ, & ad practica synderesis: Ergo etiam voluntas ad quodcumque bonum honestum rectè attingendum, etiam ad bonum in communi, & ad bonum honestum proprii suppositi, indigebit habitu virtutis moralis.

37. Respondeo ex D. Thoma infra quæst. 62. art. 3. ad 1. & quæst. 1. de virtutibus art. 5. ad 3. negando consequentiam, & paritatem: quia intellectus non est de se in actu primo completus ad cognoscendum, sed sicut indiget speciebus ad quamcumque cognitionem, etiam primorum principiorum, ita & habitu inclinante ad illam: voluntas verò non indiget habitu inclinante in bonum honestum in communi, aut etiam in bonum proprium, quia cum sit essentialiter appetitus rationalis, est ex se in actu primo inclinata respectu boni honesti in communi; & cum sit appetitus rationalis talis suppositi, in bonum proprium illius naturaliter inclinatur.

38. Obijcies secundo: Ad omnem actum virtutis faciliter producendum poni debet habitus in potentia illum elicente: Sed à voluntate procedunt plures actus virtutis circa bonum honestum proprii suppositi, ut cum quis eligit sumere cibum in debita quantitate & aliis circumstantiis: Ergo & virtutes circa tale bonum debent in ea collocari.

E Confirmatur primò: Habitus acquiritur per actuum repetitionem: Ergo repetitis actibus virtuosus in voluntate circa proprium bonum, debet virtus generari.

Confirmatur secundo: Voluntas per actus virtuosos etiam circa bonum proprium, acquirit habitum vitij: Ergo per virtuosos acquirere habitum virtutis. Consequentia patet, tum à paritate rationis: tum etiam quia contraria debent versari circa idem subjectum, atque adeo potentia, quæ potest esse subjectum vitij circa proprium bonum, etiam poterit esse subjectum contrariæ virtutis.

Ad objectionem respondeo distinguendo
 39. Majorem: Ad omnem actum virtutis faciliter producendum poni debet habitus in potentia eum eliciens, quando non est sufficienter completa & determinata ex se ad illum eliciendum, concedo Majorem: si sit sufficienter completa & determinata, nego Majorem. Constat autem ex dictis voluntatem esse sufficienter completam & determinatam ex natura sua ad bonum honestum proprii suppositi, & in illud naturalem habere inclinationem, cum sit appetitus rationalis talis suppositi, ut supra declaravimus. Ex quo patet responsio ad primam confirmationem: Major enim distinguenda est, habitus acquiritur per actum repetitionem, si potentia sit capax illius, concedo Majorem: si non sit capax, nego Majorem: lapis enim v.g. quantumcumque descendat, non acquirit habitum, quia est incapax illius, cum per naturalem gravitatem sit completè inclinatus ad descensum. Similiter potentia naturalis, ut vegetativa, nutritiva, & similes, quantumcumque operentur, non acquirunt habitum, quia naturaliter sunt ad agendum completæ. Idem cum proportione dicendum de voluntate respectu proprii boni.

Ad secundam respondeo primò, negando Antecedens: sicut enim quia lapis habet naturalem inclinationem completam ad descensum, non generatur in eo habitus ad ascendendum sursum, quantumvis millies sursum projiciatur: ita nec in voluntate generatur habitus vitiosus circa bonum proprium, quia voluntas habet inclinationem naturalem completam respectu proprii boni honesti, quæ non minus resistit habitui vitioso inclinati in contrarium, quam resisteret perfecta virtus acquisita, si adelleret.

Respondeo secundò, dato Antecedenti, negando Consequentiam, & paritatem: ratio autem disparitatis est, quia voluntas ad actus malos, circa quodcumque objectum exerceantur, non est ex se inclinata, ideoque requiritur habitus vitii ut ad illos inclinetur: ad actus verò honestos circa proprium bonum est ex propria natura inclinata, subindeque non potest ad illos per habitum inclinari.

40. Objicies tertio: Potentia indifferens ad bene vel male operandum, indiget habitu virtutis, quo ad bene operandum determinetur: Sed voluntas etiam respectu proprii boni est indifferens ad bene, vel male operandum: siquidem aliquando bene, aliquando male operatur: Ergo eget habitu virtutis, quo ad rectè attingendum bonum proprium determinetur.

21. Respondeo distinguendo Majorem: Potentia indifferens, indifferentia libertatis ad bene vel male operandum, indiget habitu virtutis, &c. nego Majorem: potentia indifferens indifferentia perfectibilitatis, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: voluntas etiam respectu boni proprii est indifferens, indifferentia libertatis, concedo Minorem: indifferentia perfectibilitatis, nego Minorem, & Consequentiam. Duplex ergo distingui debet in voluntate indifferentia, alia libertatis, alia perfectibilitatis: prima convenit voluntati respectu cuiuscumque actus liberi; secunda solum convenit respectu actus superexcedentis, ad quem propriæ vires potentia non sufficiunt, sed indiget perfectione superaddita: unde ista indifferentia debet compleri & determinari per habi-

tum, qui novam vim conferat potentia; illa verò non potest auferri per habitum virtutis, imò adhuc posito tali habitu in voluntate, manet in ea hæc indifferentia; quia licet ille ad unum actum inclinet & determinet, hæc tamen inclinatio & determinatio accommodatur naturæ potentia liberæ, subindeque non officit indifferentia requisita ad libertatem: cum ergo voluntas respectu proprii & connaturalis boni honesti, non sit indifferens indifferentia perfectibilitatis (quia tale bonum vires ejus naturales non excedit, neque quantum ad speciem, neque quantum ad individuum, ut supra ostensum est) sed duntaxat indifferentia libertatis & dominij, quæ est facultas ad utrumlibet, nulli omnino obligata; non indiget habitu virtutis, quo ad rectè attingendum tale bonum compleatur & determinetur.

Dices: Habitus omnis, præsertim virtutis, ad hoc ponitur in potentia, ut compleat & determinet illam in ordine ad actum, & objectum quod sibi est difficile: Sed voluntas in prosecutione boni honesti, etiam proprii, patitur non modicam difficultatem, & ideo sæpe illud deserit, labiturque in oppositum malum: Ergo indiget habitu virtutis ad prosequendum & attingendum bonum honestum, etiam proprium.

Respondeo, dupliciter posse aliquem actum reddi difficilem potentia, nimirum vel per se & intrinsicè, vel extrinsicè solum & per accidens. Dicitur difficilis primo modo, quando vel quantum ad speciem, vel quantum ad individuum, superat vires & proportionem potentia. Censetur verò difficilis secundo modo, cum est talis solum ratione alicujus impedimenti extrinsicè retardantis actionem, tamen in potentia adhuc sufficiens virtus intrinsicè ad illum eliciendum. Quando ergo dicitur habitum virtutis requiri, quando actus est difficilis potentia, hoc verum est quando actus est illi difficilis per se, & ex objecto; cum enim hæc difficultas oriatur ex defectu complementi & determinationis potentia, auferri nequit nisi per formam intrinsicè completam & determinatam potentiam in actu primo: falsum verò, si actus sit solum difficilis potentia per accidens, & ratione alicujus impedimenti extrinsicè; tunc enim non requiritur habitus ut promptè fiat, sed sufficit amovere impedimentum: unde cum difficultas, quam voluntas interdum patitur in prosecutione boni honesti, proprii & connaturalis, non proveniat ex defectu perfectionis requisita, neque ex superexcedentia objecti, vel actus, sed ex passionibus immoderatis appetitus sensitivi, aliusve impedimentis tenentibus se ex parte corporis, nullus requiritur habitus virtutis in voluntate, ad facile & delectabiliter prosequendum tale bonum; sed si ad hoc aliquis habitus necessarius est, collocari debet in prædicto appetitu, ad moderandas ejus passiones, ex quantum immoderantia illius boni prosequio difficilis redditur.

Instabis: Difficultas, quam voluntas patitur in recedendo unicuique quod suum est, provenit ex passionibus, pura ex nimio amore sui, vel peccuniarum: Sed hoc non obstante ponitur in voluntate iustitia ad hunc actum facile & delectabiliter exercendum: Ergo licet difficultas quam voluntas patitur in prosecutione boni honesti, proprii & connaturalis, ex passionibus immoderatis appetitus sensitivi oriatur, nihilominus requiritur.

requiritur habitus virtutis in voluntate, ad facile & delectabiliter profectendum tale bonum.

Respondeo quod licet voluntas in exercendo actu iusticie, & reddendo unicuique quod suum est, patiatur aliquam difficultatem ex passionibus appetitus sensitivi provenientes, hæc tamen non est tota difficultas quam patitur in exercitio illius actus, sed simul cum difficultate illa extrinseca, ex passionibus appetitus provenientes, habet aliam sibi intrinsecam, petitam ex excessu & improportione huiusmodi actus, non quantum ad speciem, sed quantum ad individuum, cum enim cuiuscumque voluntas sit radicata in hoc numero supposito, determinatur per suam differentiam individualement ad bonum proprii suppositi, subindeque ex majori & vehementiori inclinatione, quam habet ad bonum proprium, a prosecutione boni alieni retardatur: unde ad vincendam hanc difficultatem ponitur in voluntate habitus iusticie. Caterum ad proprium bonum honestum voluntas nullam patitur difficultatem intrinsecam, ortam ex excessu & improportione illius, cum tale bonum, neque quantum ad speciem, neque quoad individuum vires ejus naturales excedat; sed tota difficultas, quæ in huius boni prosecutione reperitur, ex intrinsecis impedimentis, & passionibus immoderatis appetitus sensitivi provenit: unde ad facile & delectabiliter profectendum tale bonum, nullus in voluntate debet poni habitus virtutis, sed sufficit ponere in appetitu irascibili & concupiscibili virtutes fortitudinis & temperantia, quibus immoderate illius passionibus cohibeantur, & temperentur.

Obijcies quartò: Humilitas versatur circa bonum proprium; ponitur enim ad moderandum affectum spei, & appetitum propriæ excellentie, ut docet D. Thomas 2.2. quæst. 161. art. 4. Sed humilitas residet in voluntate: Ergo in voluntate ponitur virtus ad attingendum bonum proprium honestum. Major patet, Minor probatur. Idem est subiectum contrariorum: Sed superbia humilitati contraria est in voluntate, ut docet S. Doctor 2.2. quæst. 162. art. 3. & patet ex eo quod in Angelis prævaricatoribus, in quibus non est appetitus sensitivus, superbia reperitur: Ergo humilitas in voluntate, non verò in appetitu sensitivo residet.

Respondeo duplicem dari humilitatem, unam in voluntate, & aliam in appetitu sensitivo, solamque hanc posteriorem, quæ est pars potentialis temperantia, versari circa bonum proprium, moderando affectum propriæ excellentie absolute sumptæ, non curando de subordinatione ad alium; illam verò quæ residet in voluntate, & est pars potentialis iusticie, respicere bonum alienum, quia respicit propriam excellentiam, non absolute, sed ut subordinatam Deo, cum importet subjectionem hominis ad Deum, ut docet S. Thomas 2.2. quæst. 161. art. 1. ad 5. his verbis: *Humilitas secundum quod est specialis virtus, præcipue respicit subjectionem hominis ad Deum, propter quem etiam aliis humiliatio se subijcit.*

DISPUTATIO III.

De distinctione virtutum.

Ad questionem 57. Divi Thomæ.

VARIÆ solent tradi divisiones virtutis in communi: sed cæteris clarior & compendiosior ea est, quam S. Doctor hic profectitur, quæ scilicet virtus in intellectualem, moralem, & Theologicam distribuitur. De virtutibus intellectualibus & moralibus breviter hic agemus: de Theologicis verò specialem Tractatum instituemus infra, post Tractatum de justificatione impij, & merito iusti. Cui aliam brevem de quatuor virtutibus Cardinalibus, & vitiis eis oppositis, subnectemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De virtutibus intellectualibus.

Virtus intellectualis ea dicitur, quæ perficit intellectum in ordine ad verum, five speculativum, five practicum; solerque dividi in quinque species, quæ vocantur intelligentia, seu habitus primorum principiorum, sapientia, scientia, ars, & prudentia. Ratio verò, huius divisionis hæc est: Cum virtus intellectualis perficiat intellectum in ordine ad verum, tot esse debent virtutes intellectuales, quot sint habitus infallibiliter attingentes verum: Sed habitus infallibiliter attingentes verum sunt tantum quinque enumerati: Ergo illi soli sunt virtutes intellectuales. Major patet, Minor probatur. Verum quod certo & infallibiliter ab intellectu attingi potest, vel est universale, & consequenter necessarium, vel singulare & contingens? Si universale, vel est attingibile immediate, vel absque medio, & ex sola terminorum notitia, ut sunt prima principia? & pro illis ponitur habitus primorum principiorum. Vel est attingibile mediate, & per proprias causas, quæ si fuerint particulares, ponitur scientia; si verò causa fuerint altissima & universalissima, ponitur sapientia. Si autem tale verum fuerit singulare, vel illud est factibile? & pro illo attingendo ponitur ars: vel agibile? & ad illud attingendum ponitur prudentia.

Præter has quinque virtutes intellectuales, dantur alij habitus seu dispositiones in intellectu, quæ non habent rationem virtutis quia non attingunt infallibiliter verum, ut sunt fides humana, opinio, suspicio, dubium, solertia, &c. Differere verò in particulari de prædictis quinque virtutibus intellectualibus, non est huius loci, cum de his agatur in Philosophia: unde hic solum varias illarum species & divisiones expendemus.

Habitus ergo primorum principiorum dividitur in intelligentiam, & synderesim. Illa attingit prima principia speculativa, quæ deserviunt ad scientiarum acquisitionem: hæc verò prima principia practica, quæ ad rectam operationem & morum directionem conducunt;

Tr 3 & ad